

fectus seu infirmitates non fuerunt in Christo ex necessitate.

Sed contra est quod Apostolus dixit, Roman. 8: Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati. Sed conditio carnis peccati est, quod habeat necessitatem moriendi, et sustinendi alias huiusmodi passiones. Ergo talis necessitas sustinendi hos defectus fuit in carne Christi.

Respondeo dicendum, quod duplex est necessitas. Una quidem coactionis, quæ fit ab agente extrinseco. Et hæc quidem necessitas contrariatur et naturæ et voluntati, quorum utrumque est principium intrinsecum. Alia autem est necessitas naturalis, quæ consequitur principia naturalia, puta, formam, sicut necessarium est ignem calefacere; vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrariis compositum dissolvi. Secundum igitur hanc necessitatem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subjectum fuit necessitati mortis, et aliorum huiusmodi defectuum; quia, sicut dictum est¹, beneplacito divinæ voluntatis, carni Christi permittebatur agere et pati quæ propria. Hæc autem necessitas causatur ex principiis humanæ naturæ, ut dictum est². Si autem loquamur de necessitate coactionis, secundum quidem quod repugnat naturæ corporali, sic iterum corpus Christi, secundum conditionem propriæ naturæ, necessitati subiacuit et clavi perforantis, et flagelli percutientis. Secundum vero quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum, neque per respectum ad divinam voluntatem, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberantem, sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout, scilicet, naturaliter refugit mortem, et etiam corporis nocumenta.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur oblati, quia voluit, et voluntate divina, et voluntate humana deliberata; licet mors esset contra naturalem motum voluntatis humanæ, ut Damasc. dicit³.

Ad secundum patet responsio ex dictis⁴.

Ad tertium dicendum, quod nihil fuit potentius quam anima Christi absolute; nihil tamen prohibet aliquid fuisse potentius quantum ad hunc effectum, sicut clavus ad perforan-

¹ Art. præc., ad 2.

² In isto art.

³ Lib. 3, c. 23 et 24.

⁴ In corpore articul.

dum. Et hoc dico, secundum quod anima Christi consideratur secundum propriam naturam et virtutem.

COMMENTARIUS.

Defectus corporis, de quibus hic agit D. Thomas, considerari possunt, vel in actu primo, ut esse passibilem, mortalem; vel quasi in actu secundo, ut pati, mori. D. Thomas ergo in corpore articuli præcipue tractat quæstionem de his defectibus posteriori modo consideratis, scilicet, quatenus in actuali aliqua passione positi sunt, ut ex illis explicet ipsam dispositionem, et quasi potentiam quam in suo corpore Christus suscepit ad has passiones sustinendas. Unde proprius sensus huius quæstionis est, an Verbum in tali dispositione assumpsit corpus, ut ex illa necessario consecuti fuerint hi defectus, qui sunt per modum actus secundi, seu passionis actualis. Et hoc sensu respondet divus Thomas assumpsisse Christum necessitatem naturalem his defectibus subjacendi, quia assumpsit corpus ita dispositum, et carens superiori dono gloriæ, ut, suæ naturæ relicto, non posset non subjacere his defectibus, supposita intrinseca compositione, et natura corporis humani, et extrinsecis agentibus; et hoc sensu dixit Damasc., lib. 3, cap. 15, corpori Christi permissum esse a divinitatis agere et pati quæ propria. Ex quo infert ulterius D. Thomas assumpsisse Christum necessitatem coactionis, quæ naturali appetitui opponitur; multa enim contra naturalem corporis propensionem ex quadam naturali necessitate patiebatur, quæ tamen absolutæ et deliberatæ voluntati coacta non erant. Reliqua clara sunt in textu.

ARTICULUS III.

Utrum Christus defectus corporales contraxerit¹.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus defectus corporales contraxerit. Illud enim contrahere dicimur, quod simul cum natura ex origine trahimus. Sed Christus simul cum natura humana defectus et infirmitates corporales per suam originem traxit a matre, cujus caro huiusmodi defectibus subiacebat. Ergo videtur quod hos defectus contraxerit.

¹ 3, d. 15, q. 4, art. 3, et d. 21, q. 4, art. 2, corp., et opus. 2, cap. 226.

2. Præterea, id, quod ex principiis naturæ causatur, simul cum natura trahitur, et ita contrahitur. Sed huiusmodi penalitates causantur ex principiis naturæ humanæ. Ergo eas Christus contraxit.

3. Præterea, secundum huiusmodi defectus Christus aliis hominibus similatur, ut dicitur Hebr. 2. Sed alii homines huiusmodi defectus contraxerunt; ergo videtur quod etiam Christus huiusmodi defectus contraxerit.

Sed contra est quod huiusmodi defectus contrahuntur ex peccato, secundum illud Rom. 5: Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors. Sed in Christo non habuit locum peccatum. Ergo huiusmodi defectus Christus non contraxit.

Respondeo dicendum, quod in verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam, ut, scilicet, illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis et horum defectuum in humana natura, est peccatum, quia per peccatum mors intravit in hunc mundum, ut dicitur Rom. 5. Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurunt. Christus autem hos defectus non habuit ex debito peccati; quia, ut Augustinus dicit¹, exponens illud Joan. 3: Qui desursum venit, super omnes est: Desursum venit Christus, id est, de altitudine naturæ humanæ, quam habuit ante peccatum primi hominis. Accepit enim naturam humanam absque peccato, in illa puritate in qua erat in statu innocentie, et simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Sic igitur patet quod Christus non contraxit hos defectus, quasi ex debito peccati eos suscipiens, sed ex propria voluntate.

Ad primum ergo dicendum, quod caro Virginis concepta fuit in originali peccato; et ideo hos defectus contraxit. Sed Christus naturam ex Virgine assumpsit absque culpa. Et similiter potuisset naturam assumere absque pœna, sed voluit suscipere pœnam propter opus nostræ redemptionis implendum, ut dictum est². Et ideo habuit huiusmodi defectus, non contrahendo, sed voluntarie assumendo.

Ad secundum dicendum, quod causa mortis et aliorum, corporalium defectuum in humana natura est duplex. Una quidem remota, quæ accipitur ex parte principiorum materialium

¹ Refertur 2 Sentent., dist. 16, et habetur in gloss. ordin. super hunc locum.

² Art. 1 huius quæst.

humani corporis, in quantum est ex contrariis compositum, sed hæc causa impediatur per originalem justitiam. Et ideo proxima causa mortis et aliorum defectuum est peccatum, per quod subtracta est originalis justitia. Et propter hoc, quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse huiusmodi defectus, sed voluntarie assumpsisse.

Ad tertium dicendum, quod Christus in huiusmodi defectibus assimilatus est aliis hominibus, quantum ad qualitatem defectuum, non autem quantum ad causam. Et ideo Christus non contraxit huiusmodi defectus, sicut alii.

COMMENTARIUS.

Titulus articuli.—Hæc tota quæstio posita est in significatione verbi contrahendi; hi enim defectus, si nudam hominis naturam consideremus, necessario consequuntur ad humanam generationem, et naturalem hominis conditionem et compositionem; et hoc modo dixit Durand., in 3, dist. 15, q. 4, n. 8 (ut illi imponi solet), Christum contraxisse hos defectus, quamvis revera ipse non dicat contraxisse, sed ex necessitate quadam naturali illos habuisse; quanquam neque hic modus loquendi placeat, ut statim dicam, licet res, quam ipse intendit, vera sit. Si autem consideremus humanam naturam, prout a Deo est condita, non habuit hos defectus, neque habuisset unquam, nisi intervenisset peccatum, propter quod dono justitiæ privata est, quod illam ab his defectibus immunem reddebat; et ideo in his hominibus qui ab Adamo naturali generatione descendunt, non dicuntur absolute hi defectus esse ex naturali necessitate, sed ex peccato contracti; et hoc sensu certissimum et de fide est non contraxisse Christum hos defectus, quia non est conceptus ex semine viri, sed Spiritus Sancti opere, et ideo nec peccato originali obnoxius fuit, neque defectus ab illo manantes contraxit. Neque etiam simpliciter dicendum est, ex necessitate naturali subditum fuisse his defectibus, quia, propter conditionem et dignitatem personæ, debita illi erat talis naturæ perfectio, quæ omnes hos defectus impediret; et ideo nec contracti, nec simpliciter naturales dicendi sunt, sed voluntarie assumpti. Quæ tota doctrina sumpta est ex Augustino, lib. 5 contra Julian., c. 9, versus finem; et Damasc., lib. 3 de Fid., c. 20; et Anselmo, lib. 1 Cur Deus homo, c. 10, et lib. 2, c. 10, 11 et seq.

ARTICULUS IV.

*Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit*¹.

1. *Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit. Dicit enim Damascen.²: Quod est inassumptibile, est incurabile. Sed Christus venerat omnes defectus nostros curare. Ergo omnes defectus nostros assumere debuit.*

2. *Præterea, dictum est³ quod ad hoc, quod Christus pro nobis satisfaceret, debuit habere habitus perfectivos in anima, et defectus in corpore. Sed Christus ex parte animæ assumpsit plenitudinem omnis gratiæ. Ergo ex parte corporis debuit assumere omnes defectus.*

3. *Præterea inter omnes defectus corporales, præcipuum locum tenet mors. Sed Christus mortem assumpsit. Ergo multo magis omnes alios defectus assumere debuit.*

Sed contra est, quod contraria non possunt simul fieri in eodem. Sed quædam infirmitates sunt sibi ipsis contrariæ, utpote ex contrariis principiis causatæ. Ergo non potuit esse quod Christus omnes infirmitates humanas assumeret.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est⁴, Christus defectus humanos assumpsit, ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ, ad quod requirebatur quod haberet perfectionem scientiæ et gratiæ in anima. Illos ergo defectus Christus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ, nec tamen repugnant perfectioni scientiæ et gratiæ. Sic igitur non fuit conveniens ut omnes defectus seu infirmitates humanas assumeret. Sunt enim quidam defectus qui repugnant perfectioni scientiæ et gratiæ, sicut ignorantia, pronitas ad malum, et difficultas ab bonum. Quidam autem defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam, propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis, sicut lepra, et morbus caducus, et alia

¹ Supr., q. 12, art. 4, ad 3, et infr., q. 15, a. 1, corp., et q. 46, art. 5, ad 1; et 3, d. 15, q. 1, a. 1, et d. 22, q. 2, a. 1, q. 1, et 4 contra gent., 55, n. 11, et opus. 2, c. 226, et 238.

² Lib. 3, c. 6 et 18.

³ Artic. 1.

⁴ Artic. 1 et 2 hujus quæst.

hujusmodi. Qui quidem defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta, ex inordinato victu; quandoque autem ex defectu virtutis formativæ. Quorum neutrum convenit Christo, quia et caro ejus de Spiritu Sancto concepta est, qui est infinitæ sapientiæ et virtutis, errare et deficere non potens, et ipse nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercuit. Sunt autem tertii defectus, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur, ex peccato primi parentis; sicut mors, fames, sitis, et alia hujusmodi. Et hos defectus omnes Christus suscepit, quos vocat Damascenus¹ naturales et indetractibiles passiones; naturales quidem, quia consequuntur communiter totam naturam humanam, indetractibiles autem, quia defectum scientiæ et gratiæ non important.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes particulares defectus hominum causantur ex corruptibilitate et passibilitate corporis, superadditis quibusdam particularibus causis. Et ideo, cum Christus curaverit passibilitatem et corruptibilitatem corporis nostri, per hoc quod eam assumpsit, ex consequenti omnes alios defectus curavit.

Ad secundum dicendum, quod plenitudo omnis gratiæ et scientiæ, animæ Christi secundum se debebatur, ex hoc ipso quod erat a Verbo Dei assumpta; et ideo absolute omnem plenitudinem scientiæ et gratiæ Christus assumpsit. Sed defectus nostros dispensative assumpsit, ut pro peccato nostro satisfaceret, non quia ei secundum se competerent. Et ideo non oportuit quod omnes assumeret, sed solum illos, qui sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quod mors in omnes homines devenit ex peccato primi parentis; non autem quidam alii defectus, licet sint mortis minores. Unde non est similis ratio.

COMMENTARIUS.

1. *Objectio. — Responsio. —* Tribus assertionibus D. Thomas respondet. Prima est, non assumpsisse Christum illos defectus, qui cum scientiæ et gratiæ perfectione pugnant. Hæc satis constat ex iis quæ supra de gratia et scientia Christi dicta sunt, et ex parte tractanda est late quæstione sequenti. Non immerito tamen percontatur Cajetanus quare D. Thomas horum defectuum mentionem hic

¹ Lib. 1 Orth. fid., c. 14, in fin., et lib. 3, c. 20.

fecerit, qui ad animam potius quam ad corpus pertinent, ut sunt ignorantia, propensio ad malum, difficultas in bono. Responderi tamen potest, obiter tantum hæc attigisse D. Thom., ut illam generalem regulam statueret, scilicet, præter eos defectus, qui ad veritatem humanæ naturæ pertinent, illos tantum defectus Christum assumpsisse, qui ad finem incarnationis utiles esse poterant; non vero qui ad hunc finem nihil conferunt, ut sunt ignorantia, etc. Vel certe dici potest non loqui hic D. Thom. de his defectibus, prout formaliter ad animam pertinent, sed prout ex dispositione corporis originem trahunt, ut sensus sit, non assumpsisse Christum corpus ita dispositum, vel ita prædominans animæ, ut perfectionem scientiæ et gratiæ posset impedire.

2. *Secunda assertio, non assumpsisse Christum particulares defectus corporis, qui non sunt toti naturæ communes, ut sunt ægritudo, et deformitas. Ratio est, quia in Christo non sunt inventæ causæ ex quibus hi defectus oriri solent, quæ sunt, aut imperfecta virtus formans corpus, aut imperfectum regimen ipsiusmet corporis.*

3. *Tertia est, assumpsisse Christum defectus communes omnibus hominibus, quos Damascenus vocat naturales et irreprehensibiles hominis affectiones. Circa quam conclusionem et cæteras nihil notandum occurrit, præter ea quæ statim disputabimus. Solum est observandum illud principium positum a D. Thom. in principio corporis articuli, et in solutione ad 2 repetitum, scilicet, perfectionem omnem humanæ naturæ convenientem per se debitam esse humanitati ratione unionis; defectus vero tantum esse assumptos propter nos. Hoc enim principium, et pro qualitate materiæ per se notum est, et illo in superioribus sæpe usi sumus, et in sequentibus utemur.*

DISPUTATIO XXXII,

In quatuor sectiones distributa.

DE PERFECTIONIBUS ET DEFECTIBUS CORPORIS CHRISTI.

Quoniam defectus carentiam quamdam perfectionis indicat, idem enim defectus nomine quod voce imperfectionis significari videtur, ideo ad explicandum quos defectus Christus in corpore suo assumpsit, a perfectionibus assumptis inchoandum est, ut per

habitu privatio facilius cognoscatur. Advertendum autem est duplices esse posse perfectiones in corpore humano: quædam sunt conaturales, et debitæ tali corpori secundum debitum statum ejus, ut sunt pulchritudo, sanitas et similes; aliæ sunt supra debitum naturæ, ut sunt dotes, quas corpus habebit in gloria, et ad has revocari possunt perfectiones quas haberet in statu innocentiae, in quo esset aliquo modo impassibile et immortale; quarum quidem perfectionum carentia, defectus quidam est, qui, solum consideratus secundum id quod naturæ humanæ de se debitum est, solum est veluti negatio quædam, seu negativa imperfectio; tamen respectu naturæ humanæ elevata ad superiorem quemdam statum, et præsertim ad unionem hypostaticam, cui omnis illa perfectio debita est, magis habet rationem privationis et proprii defectus, seu imperfectionis. Præter hos vero considerari possunt in humano corpore alii defectus omnino conaturales illi, qui non privant illud aliqua perfectione, in aliquo statu sibi debita, sed solum negant perfectionem propriam alicujus naturæ superioris, ut sunt circumscribi loco, et esse loco mutabilem, et alii similes, de quibus breviter sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Utrum Verbum assumpsit in corpore humano perfectiones corporis gloriosi, vel potius defectus illis repugnantes, ut esse passibile, mortale, etc.

1. *Sensus hujus dubii est de principio temporis quo facta est assumptio, et de toto tempore viæ. Nam, quod post resurrectionem habuerit Christus in corpore suo omnes has perfectiones, et caruerit omnibus his defectibus, dubium non est, de qua re infra in proprio loco disputabimus. Est ergo primus error eorum, qui negarunt assumpsisse Christum corpus passibile, etiamsi non negarent assumpsisse verum corpus humanum. Auctor hujus fuit Julianus Halicarnassæus, et Caianus, ut refert Damascenus, hæres. 84; et Nicephorus, lib. 17 Hist., c. 29, et in eundem errorem dicitur incidisse Justinianus imperator, ut est apud Evagrium, lib. 4 Hist., c. 19, et Nicephorum supra, c. 31, qui tamen excusat imperatorem, eo quod per ignorantiam lapsus fuerit, ut non propterea sit inter hæreticos reputandus, præsertim quia in VI Synodo, in præfatione ejus, et aliis locis in qui-*